



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod amor est via rectissima ad Deum, 17

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

C A P V T . X V I I .

Quod amor est via rectissima ad Deum.

1. **V**era dilectio (benignissime Domine Iesu Christe, qui es merces amoris) est via rectissima veniendi ad te. Nec opus est aliqua alia virtute, in cuius exercitio potest esse via obliqua. Sed solum amore & dilectione, quæ ad cælestem patriam vere ducunt. Quia alia quæcunque virtus informis esse potest, & cum peccato: Et ex ejus actu sæpe oritur vana gloria, quæ ut ventus impedit viatorem, imo impellit in chaos inferni. Nam peregre pergens, carnis afflictionem assumens, eleemosynas erogans, sæpe vento vanæ gloriæ impetitur; & dum ad pœnitentiam ire credit, labitur in infernum. Non ergo Domine Iesu Christe, susceptor amoris & largitor, jejunium, oratio, eleemosyna, est via recta omnino: sed amor & dilectio tua est via rectissima absque devio: via brevis absque tædio: via plana absque tumulto: via clara absque nubilo: via secunda absque periculo: via jucunda cum bono socio, scilicet cum te Domine amantissimo duce: via veniendi ad æterna gaudia, quæ non permittit viatorem ad dexteram, quæ est prosperitas, nec ad sinistram, quæ adversitas est, declinare.

2. Ista via amoris, Domine Iesu Christe, dux amantium æterne, est vera, non ficta, neque palliata: via cordialis, non verbalis; via fructuosa, non ociosa; via non solum sermonis, sed etiam operis; via cauta, non

Z

non

non improvida; prudens, non fatua: ita quod persona ametur, & culpa refutetur. Via magna, non modica; ita quod animam suam ponat quis pro amicis suis. Via constans, non momentanea, sicut tu Domine in fine ostendisti: quia cum dilexisti tuos, in fine dilexisti eos. Si quis igitur, Domine Iesu Christe, amator constantissime, ad patriam caelestem velit celeriter pervenire; per viam dilectionis & amoris ambulare debet. Quia qui amat ardentius, currit velocius, & pervenit citius. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui ob nimium amorem, etiam non amantium misereris: iniqua & perversa atque falsa fuit dilectio mea. Quia non fuit cordialis, sed verbalis: non vera, sed ficta: meos amicos in suis sceleribus & peccatis defendi; & sic iniquos odio non habui. Amavi fortunam, & ea mutata, amorem mutavi. parce mihi, piissime Domine Iesu Christe, misericordissime amator, & veniam dare mihi dignare; & concede mihi misericorditer tantam ad te amandum gratiam, ut relicto vano amore tibi non placito, te super omnia amem, & diligam assidue; & sine alicujus temporis interpositione nec a tua dilectione separer, sed cum ea permaneam per infinita saeculorum saecula, Amen.

CAPUT XVIII.

Quod amor obtinet, qua juste petuntur à Deo.

- I. **A**MOR & dilectio, clementissime Domine Iesu Christe, qui es ipse amor postulata